

206. Dico 4^o : *Recte explicatur actus fidei liber-
tas, ex eo quod ejus objectum formale sit Veritas
prima non visa, seu, non apparens.*

2 Patet, ex supra dictis, duobus modis concipi aliquem,
reposito judicio credibilitatis, assentiri veritati reve-
latae.

Primus modus est, si assentiatur propter auctori-
tatem Dei revelantis, ita tamen ut rationes quibus
constant tum Dei Veracitas, tum revelationis factum,
sint causae assensus, illumque formaliter determi-
nent. Talis assensus, quamvis licite habeatur, non est
tamen verus assensus fidei supernaturalis, sed magis
pertinet ad theologiam; et aliquando carebit liber-
tate, saltem specificationis; quoties, scilicet, tum Dei
Veracitas, tum revelatio apparent intellectui evidenter
verae. In illo enim casu, objectum materiale fidei fit
evidenter verum, et intellectus, licet assensum cohi-
bere valeat ad alia divertendo, non tamen potest dis-
sentire positive, quia intellectus ab evidentia necessi-
tatur.

207. Secundus modus est, ut jam diximus, si quis
assentiatur, non propter rationes, quantumvis evi-
dentes, quibus demonstrantur Dei Veracitas et locutio,
sed, his probationibus praesuppositis, propter solam
Dei revelantis auctoritatem secundum se, praescin-
dendo a rationibus judicium credibilitatis fulcientibus.
Tunc objectum formale fidei erit Veritas prima non
visa, seu, non apparens; et assensus non a praesentia
objecti, sed a voluntatis imperio determinabitur. Atqui
talis assensus erit liber, quatenus a voluntate libere
imperatus. Equidem voluntas semper necessario fer-
tur ad bonum universale; ad bonum autem particulare

de se non necessitatur. Porro honestas quae relucet
in fidei assensu, non est summum bonum movens ad
amorem necessarium. Ergo voluntas fidei actum non
imperat necessario.

208. Dico 5^o : *Fidei actus non est ita liber quod
aliquando non possit esse necessarius.*

Ita Salmanticenses (*De Fide* : Disp. v. Dub. 1. n. 5).

Etenim, quamvis solum bonum universale *semper*
necessitet voluntatem, haud tamen repugnat hanc ad
bonum etiam particulare ferri necessario, Deo sic
providente ac movente, ut fit, v. gr., in motibus inde-
liberatis per gratiam actualem praevientem susci-
tatis. Ergo nec est impossibile voluntatem a Deo ali-
quoties necessitari ad fidei actum imperandum.

QUAESTIO VII.

Utrum et quomodo assensus fidei divinae sit *appreciativus*
super omnia?

(Salm. *De fide*, Disp. VIII, Dub. 3., n. 27... 41. —
Theol. Wirceb. *De Fide*, n. 219... 224).

209. Resp. Tunc assensus fidei dicitur *appreciativus*
super omnia, ubi credens habet voluntatem ita dis-
positam ut, dum adhaeret uni articulo revelato, sin-
cere paratus est, ob divinae Veracitatis et revelationis
reverentiam, credere omnes veritates revelatas,
quamvis de his non cogitet actualiter. Unde haere-
ticus pertinaciter discredens unum articulum, vel de
illo dubitans, hac caret dispositione, et dum aliis

articulis assentitur, eos tamen non credit actu fidei appreciativo super omnia.

210. Jam vero, qui est hujusmodi, certe non habet fidem perfectam. Sicut enim charitas dicitur perfecta, quando Deum, propter infinitam ejus amabilitatem, praefert omnibus aliis, et nollet ullum ipsius praeceptum graviter obligans transgredi; ita etiam perfecte et simpliciter credens, supremam Dei revelantis auctoritatem aestimat appreciative super omnia quae huic essent graviter opposita. Ergo fides perfecta nullo modo componitur cum dissensu graviter culpabili erga quemcumque fidei articulum.

211. Haec quidem clara sunt; sed duplex exurgit dubium: 1° Utrum fides imperfecta haeretici possit esse actus fidei divinae? 2° posito quod sit actus fidei divinae, an sit supernaturalis?

212. *1^{um} dubium: Utrum fides imperfecta sit vere divina?*

Communiter negant theologi. Nam, ubi objectum formale actus destruitur, jam deest facultas illum eliciendi. Sed objectum formale fidei, quod ad omnes veritates revelatas extenditur, est Dei revelantis auctoritas; et hanc haeticus postponit, quando vel uni veritati revelatae adhaerere pertinaciter renuit. Ergo hanc auctoritatem, seu, fidei objectum formale evertit omnino quoad alios articulos quos retinet. Unde hos non credit actu fidei divinae, id est, ob divinam veracitatem, sed ex alio motivo, puta: propter minorem repugnantiam quam experitur.

213. Illam sententiam, saltem in sua generalitate, non admittunt plures optimaе notae theologi, uti

Kilber (apud Th. Wirceb.), Lugo, Viva, Ripalda et alii.

Equidem, haeticus qui, factum revelationis confitendo, negaret Deum esse infallibilem, jam versaretur in impossibilitate ullum articulum firmiter credendi. Sed ordinarie haeretici non negant Veracitatem divinam, et solum contendunt articulos quos discredunt non fuisse revelatos.

214. Id autem optime concipitur. Quamvis enim divina Veracitas, pro singulis veritatibus revelatis credendis, sit una atque eadem, revelatio tamen est diversa, et revelatio unius potest separari ab alterius revelatione. Unde si haeticus credat, v. gr., Trinitatem, confitens eam fuisse revelatam, et simul Incarnationem neget, asserens ex mala fide hanc non fuisse revelatam, inconsequenter quidem loquitur; sed nihil obstat quominus sincerus sit, asserendo se credere Trinitatem propter auctoritatem Dei revelantis. In hac Trinitate credenda majorem experitur facilitatem; attamen major illa facilitas non est ratio motiva assensus; est dumtaxat removens obicem quo, secus, impediretur a percipiendo vim motivorum credibilitatis. Ergo id unum ex haeretici pertinacia legitime infertur, nempe, illius voluntatem non affici erga fidei motivum juxta totam ejus latitudinem; ac proinde haeretici fidem non esse appreciativam super omnia, sed esse imperfectam.

215. Id illustratur exemplis aliarum virtutum. Sic culpabiliter nolens restituere centum, potest simul velle restituere decem, ex justitiae motivo; potest amicus ea dilectione amari, quae quidem non patitur negari illi pecunias, quamvis non parata sit pro eo

subire famae et vitae periculum; potest, cum violatione praecepti difficilioris, stare amor Dei remissus et imperfectus. Omnes theologi asserunt, in peccatore simpliciter attrito dari nonnunquam amorem Dei benevolum, qui non sit super omnia, sed inseruiens ad justificationem in Sacramento obtinendam, et vocatur charitas initialis et imperfecta. Quidni igitur dari poterit in haeretico fides vere divina, sed non appreciativa super omnia; ubi, scilicet, voluntas haeretici non afficitur erga divinam Veracitatem tanta reverentia, quanta sufficeret ut eidem praestaret obsequium in omnibus veritatibus revelatis, etiam creditu difficilioribus?

215. Insuper, ex altera sententia duo sequerentur falsa: 1° actus quilibet honestus, ob conformitatem cum ratione elicited, non componeretur cum ullo actu rationi opposito, et esset retractatio cujuslibet peccati prius commissi. Non posset enim voluntas amare aliquem actum honestum ob motivum omnibus aliis honestis actibus commune, quin erga omnes bene afficeretur; 2° quicumque veritatem aliquam sufficienter sibi demonstratam mala fide respuit, non poterit amplius ullam retinere certitudinem; quia, eo ipso, repudiare censebitur principium contradictionis, super quod finaliter nititur omnis legitima demonstratio.

216. II^{um} dubium: *Utrum fides imperfecta haereticorum, posito quod sit divina, sit etiam supernaturalis?*

Theol. Wirceb. (*De fide*, n. 222) affirmat ut probabile. Sed non minus probabile, imo forsans probabilius contrarium videtur.

Fides enim supernaturalis ea est quam dicit Conc. Trid. haberi non posse absque Spiritus Sancti adiutorio, ut per eam peccator disponatur ad justificationem. Fides autem ad justificationem disponens, juxta idem consilium, ea est vi cujus peccatores *libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata sunt*. Haec ultima propositio indefinita aequivalet universali; ac proinde fides supernaturalis credit vera esse *ea omnia* quae Deus revelavit, seu, est fides perfecta.

217. Objici poterit amorem Dei benevolum qui reperiri potest in homine simpliciter attrito, nec est super omnia, esse nihilominus supernaturalem, cum sit dispositio ad justificationem obtinendam vere utilis, imo, juxta multos, necessaria. Sed respondere licet, ad actum supernaturalem requiri et sufficere motivum fide *perfecta* cognitum, quale est motivum amoris benevoli in peccatore simpliciter attrito; ac proinde in eo qui careret fide perfecta, et diligeret Deum amore benevolo, amorem hunc nunquam fore supernaturalem.

QUAESTIO VIII.

An et quomodo fides divina actualis sit ad salutem necessaria?

(Salm. *De fide*: Disp. VI. Dub. 1, n. 60. — Theol. Wirceb. *De fide*, n. 213... 218. — Mazella, *De virt. inf.*, n. 850... 885.)

218. Resp. Nonnulla praemittenda sunt circa varias necessitates in ordine ad salutem.

Duplex in ordine ad salutem distinguitur necessitas: *praecepti*, videlicet, et *medii*.

Necessitas *praecepti*, ut nomen indicat, unice oritur ex imperio superioris, atque ideo inducit solum necessitatem *per accidens*, seu, necessitatem auferendi impedimentum ad salutem, quod est peccatum; observatio enim *praecepti* tollens peccatum, tollit aliquod impedimentum salutis.

Necessitas *medii*, est necessitas *per se* urgens, eo quod cadat in aliquod *per se et positive* conferens ad salutem, et sine quo salus non obtineretur.

Ex quo radicali discrimine, aliae derivantur differentiae, tum ex parte materiae, tum ex parte subjecti.

219. 1^o *Ex parte materiae*, necessitas *praecepti* non respicit nisi id quod est liberum, sive sit actus, sive sit simplex omissio; *praeceptum* enim violatur et commissione et omissione, modo utraque sit libera. Necessitas autem *medii* non respicit nisi aliquid positivum, sive sit actus, sive sit res alia, uti, v. gr. habitus gratiae; neque refert si quis eo medio involuntarie careat; quia eo ipso quod desit id quod requiritur tanquam medium *per se* conferens ad salutem, jam salus fit impossibilis.

220. 2^o *Ex parte subjecti*, necessitas *praecepti* non cadit nisi super adultos ratione utentes; sed simul cadit super omnes adultos etiam jam justificatos; nam omnes et soli adulti rationis usu praediti, sunt *praecepti* capaces.

Necessitas autem *medii* spectat omnes et solos qui justificatione indigent, sive infantes, sive adultos etiam usu rationis orbatos. Etenim, qui justi sunt certo salvabuntur, modo impleant ea quae requiruntur ex

praecepto gravi; qui vero in statu peccati mortalis versantur, nunquam gratiam sanctificantem obtinebunt, nisi iis adhibitis mediis quae requiruntur tanquam *per se* conferentia ad justificationem; et hoc verum est etiam de infantibus, necnon de adultis rationis usu carentibus.

Hinc merito dicitur illud esse necessarium ad salutem *necessitate medii*, sine quo, etiam inculpabiliter omissio, non obtinebitur salus.

221. Aliquando tamen res necessaria *necessitate medii*, in certis casibus, suppleri potest per aliam. Tunc necessitas *medii* non est absoluta. Sic baptis- mus suppletur in omnibus, etiam parvulis, per martyr- ium; et omnia media salutis necessaria, in adultis suppletur per *votum*, seu, per charitatem perfectam, quae continet votum adhibendi omnia media salutis a Deo imposita.

222. Sed in hoc ultimo casu, votum *medii* realiter omissi est *per se* necessarium, et justificatio non confertur nisi in ordine ad illud votum, et quasi sub fide et promissione implendi illud, si fieri possit.

223. Itaque necessarium *necessitate medii* duplex est: aliud necessarium *absolute*, seu, *in re*, quando suppleri nequit; aliud necessarium *non absolute*, quando, in certis casibus, suppleri potest. Dicitur communiter necessarium *in re* vel *in voto*, quatenus in adultis per charitatem perfectam suppletur.

224. Patet insuper, quidquid est necessarium *necessitate medii*, esse simul necessarium in adultis *necessitate praecepti*; quia adulti tenentur gravi *praecepto* suam salutem procurare. Sed non vice versa, quod est necessarium *necessitate praecepti* est sem-

per necessarium necessitate *medii*; sic communio paschalis est tantum necessaria ex praecepto.

225. In praesenti, non inquirimus de necessitate praecepti, quoad fidem actualem; spectat haec quaestio ad theologiam moralem. Ergo investigandum est breviter: an, et qualis, et quorumnam articulo-
rum fides requiratur tanquam medium salutis necessarium, apud eos qui justificatione indigent.

226. Dico 1°: *Actus fidei divinae est necessarius necessitate medii absoluta; id est: nullus adultus constitutus in statu peccati mortalis, potest sine exercitio fidei divinae pervenire ad salutem.*

Constat 1° Scriptura. Legimus (Hebr. XI, 6): *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum...* (Marc. XVI, 16.) *Qui non crediderit, condemnabitur.* Unde qui actu non credit versatur in impossibilitate placendi Deo, et incurrit reatum aeternae damnationis.

227. Constat 2° ex conciliis Trid. et Vatic. supra citatis. Trid. enim (sess. V. cap. VIII), et Vatic. (Constit. *Dei Filius*, cap. III.), concludunt fidei necessitatem ex verbis B. Pauli: *Sine fide impossibile est placere Deo*; quae verba, ut diximus, intelliguntur de fide actuali.

228. Hinc, fides actualis est necessaria *in re*, nec sufficit *in voto*. Praedicta enim testimonia de fide *in re* loquuntur, et nullibi insinuat fidei votum posse aliquando fidei realis defectum supplere. De caetero, votum illud, quod alia media salutis supplet apud adultos, est charitas perfecta. Atqui, absque fide actuali, nulla perfecta charitas concipitur; non enim amatur

Deus super omnia in ordine supernaturali, nisi praevie cognoscatur in eodem ordine per fidem actualem.

229. Dico 2°: *Fides cujus exercitium ad justificationem requiritur, est fides stricte sumpta et supernaturalis.*

Ita omnes contra Andream Vega, cujus est haec propositio: « Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit. » Voluit quippe ille theologus Dei notitiam ex creaturis haustam, fidem lato sensu vocari posse, eo quod Deus quasi virtualiter loquatur per creaturas. Ex qua Dei notitia, quis poterit habere voluntatem generalem faciendi quicquid praecipitur, ac proinde voluntatem implicitam credendi veritates revelatas, quando sufficienter proponuntur.

Nonnulli tamen, inter eos qui Andreae adhaeserunt, confessi sunt, hanc Dei cognitionem ex motivo naturali ortam non conducere ad justificationem, nisi a principio supernaturali gratiae procedat.

230. Contra hos omnes thesis stabilitur.

1° Ex damnatione propositionis Andreae Vega per Innocentium XI.

2° Fides quam B. Paulus asserit esse omnino necessariam ad salutem, ab ipsomet Apostolo definitur: *Sperandarum substantiarum* (Hebr. XI, 1.); quae definitio non convenit nisi fidei stricte sumptae.

3° Conc. Trid. docet hanc esse fidem qua peccatores moventur in Deum *credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt*; ubi fides stricte dicta evidenter designatur.

4° Denique, concilia Trid. et Vatic. fidem hanc stricte dictam vocant radicem omnis justificationis. Atqui, in sententia adversariorum, radix illa potius reponenda foret in fide late sumpta, quae strictam continet in voto.

231. Dico 3° : *Ad justificationem obtinendam, fides explicita in Deum remuneratorem supernaturalem certo requiritur, et probabilis sufficit :*

Prima pars evincitur ex verbis Apostoli : *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (Hebr. xi, 6.) Qualis autem remunerator? Certe supernaturalis, seu, nos ordinans ad beatitudinem, quae vires et exigentias naturae superat : siquidem fidem definit Apostolus : *Sperandarum substantia rerum*. Et revera finis justificationis essentialiter supernaturalis est. Ergo, ut media fini proportionentur, fides ad justificationem disponens, debet respicere Deum quatenus finem supernaturaliter obtinendum.

232. De caetero, seclusa tali fide, jam adesse non poterit inter Deum et nos amor charitatis; charitas, siquidem, est amor amicitiae supernaturalis, et supernaturalis amicitia supponit mutuum bonorum in ordine supernaturali communicationem. Sed illa mutua communicatio exigit, ex parte hominis, fidem in Deum ut est remunerator supernaturalis.

233. *Secunda pars* evincitur contra multos theologos contententes necessariam esse necessitate medii, post Evangelium promulgatum, fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis. Qui tamen communiter non aliam requirunt fidem explicitam Incarnationis, quam fidem

de aliquo Mediatore et Redemptore, quamvis ignoretur an ille Mediator sit Deus, et quis sit modus salutis operandae.

234. Probatur nunc talem fidem minime requiri. Etenim, omnes fatentur ante Christum sufficientem fuisse explicitam fidem in Deum remuneratorem supernaturalem, ad justificationem obtinendam. Sed medium justificationis obtinendae olim sufficiens, non debuit insufficiens fieri, nisi id certo et clare a Deo declaratum fuerit; media enim salutis necessaria incerta esse nequeunt. Atqui, nec clara nec certa exstat declaratio in verbo divino, quo constat fidei explicitae in Incarnationem necessitas. Nam si talis daretur declaratio, non ita scinderentur theologi. Et revera, quae passim offeruntur testimonia, recte intelligi possunt, vel de fide meritis Christi accepta, vel de efficacia fidei explicitae ad justificationem, vel de mera praecepti necessitate.

235. Insuper, credens Deum remuneratorem supernaturalem, habet quidquid ex natura rei requiritur ad eliciendum actum charitatis perfectae, seu, ad amandum Deum super omnia amore benevolo propter summam ejus amabilitatem fide cognitam. Sed ille actus semper sufficit ad justificationem, ut Deus ipse dixit : *Ego diligentes me diligo*. (Prov. viii, 17.)

Remittimus ad theologiae moralis lectiones consecutaria practica ex praejectis eruere.

QUAESTIO IX.

In quod ultimo resolvatur actus fidei divinae?

Theol. Wirceb. *De fide*, n. 159...163. — Mazella, *De virt. inf.* n. 836...849.)

236. Resp. Analysis fidei est ejus reductio ad rationem motivam, in qua credens ultimo conquiescat; et ex qua sciens et prudens valeat rationem reddere de sua fide, nullam committendo petitionem principii.

Ad quam analysim, observandum est illius quaestionis: *cur credis?* triplicem sensum esse posse.

237. 1^{us} *sensus*: Quare judicas hanc veritatem esse credibilem, utpote a Deo revelatam? Tunc ratio credendi spectatur *dispositive*. Ratio autem disponens sic ad credendum, sunt motiva credibilitatis, quibus liquet Deum revera revelasse, videlicet: miracula, martyria, sanctitas doctrinae..., etc.; et, pro pueris ac rudibus, auctoritas Ecclesiae quae noscitur ex testimonio parentum, pastorum, ac piorum virorum.

238. 2^{us} *sensus*: Quare vis credere? seu quare voluntas tua imperat fidei assensum? Tunc ratio credendi spectatur, *affective*, et responsio reperitur in motivo voluntatem determinante ad praefatum imperium. Hoc autem motivum est objectiva honestas, id est, moralis excellentia actum fidei commendans; puta: volo credere, quia ille actus mihi affert meritum, claritatem, firmitatem, jucunditatem; aut quia est mihi necessarius necessitate medii, vel praecepti, etc.....

239. 3^{us} *sensus*: Propter quod motivum formaliter assentiris objecto revelato? Tunc ratio credendi spectatur *creditive*, seu, quatenus est objectum formale intrinsecum fidei divinae. Haec autem ratio, ex supra dictis, est auctoritas Dei revelantis *non visa*; cui, scilicet, non propter humanas rationes Veracitatem et locutionem divinam demonstrantes inhaeremus, sed propter seipsam, ex pia voluntatis affectione.